

Die 1 Maji
IN SOLLEMNITATE
S. JOSEPH OPIFICIS

SPONSI BEATÆ MARIAE VIRGINIS
CONFESSORIS

Duplex I classis

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Deus, mundi ópifex, * pósuit hóminem ut operarétur et custodíret terram, allelúja.

Psalmi de Dominica, sed loco ultimi dicitur Psalmus 116
Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Christus, Dei Fílius, * mánibus suis operári dignátus est, allelúja.

3 Artem fabri * fidéliter exércens sanctus Joseph, labóris mirábile refúlget exémpLAR, allelúja.

4 Fidélis servus * et prudens, quem constituit Dóminus super famíliam suam, allelúja.

5 Joseph, ópifex sancte, * ópera nostra tuére, allelúja.

Capit. Col. 3, 14-15

Fratres: Caritátem habéte, quod est vínculo perfectiónis, et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, et grati estóte.

Hymnus

Te, Joseph, célebrent ágmina cælitum,
Te cuncti résonent christiádum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclitæ
Casto fœdere Vírgini.

Almo cum túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dúbio tängeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum Púerum docet.

Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægýpti prófugum tu séqueris plagas;

DECRETUM

Instituto a Sanctissimo Domino Nostro Pio Pp. XII, die primo Maji anni millesimi nongentesimi quinquagesimi quinti, festo sancti Joseph Opificis, opificum Patroni, reliquum erat liturgicos parare textus in Missale et Breviarium Romanum inducendos. Hos itaque textus, a speciali Commissione diligenter compositos et approbationi Summi Pontificis subjectos, prout hic publici fiunt juris, hæc Sacra Rituum Congregatio in posterum ab omnibus qui ritui Romano adstricti sunt, die primo Maji, in festo S. Joseph Opificis, sub ritu duplicis primæ classis recolendo, adhibendos esse præcipit; translato in perpetuum festo Ss. Apostolorum Philippi et Jacobi in diem undecimum mensis Maji, tamquam in sedem propriam. In lectione autem quarta ejusdem festi omittantur verba: «Kalendis Maji»; lemma Martyrologii Romani quo de Ss. Apostolis Philippo et Jacobo agitur, ponatur primo loco eodem die undecimo Maji. Sollemnitatis vero S. Joseph, quæ hucusque celebratur feria IV post Dominicam II post Pascha, abolita habeatur; et titulus «Ecclesiæ universalis Patroni», qui dictæ Sollemnitati adjungebatur, festo principali S. Joseph diei 19 Martii in posterum adnectatur.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Pp. XII relatis, Sanctitas Sua benigne Officium et Missam in honorem S. Joseph Opificis, necnon variationes supradictas approbare dignata est.

Die 24 Aprilis 1956.

L. † S.

C. Card. CICOGNANI *Praefectus*

† A. Carinci *Archiep. Seleuc., Secretarius*

APPROBATIO

Concordat cum originali approbato.

Ratisbonæ, die 14 m. maji 1956

J. BALDAUF

Vic. gen.

Ratisbonæ, sumptibus et typis Friderici Pustet

Printed in Germany